

Bibliothèque numérique

medic@

**Adet, Pierre-Auguste - candidat /
Moreau, Edmond-Thomas - président.
- An inter spasmodicos affectus febris
intermittens ?**

1786.

***Paris : Typis Quillau,
Universitatis & Facultatis
Medicinae Typographi, viâ dictâ
du Fouarre***

Cote : ms 2337a n°130



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax17x0130



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ ET S. LUCE,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS

*manè discutienda in Scholis Medicorum, die Martis vigesimâ-octavâ
mensis Februarii, anno Domini M. DCC. LXXXVI.*

M. EDMUNDO-THOMA MOREAU, Doctore Medico,
Præsîde.

An inter spasmodicos affectus febris intermittens?

I.

INTER morbos quibus discruciatur homo, haud parvum sibi vindicant locum illi, quibus pro charactere spasmus. Per hanc-æ vocem spasmi seu convulsio-
nis, vulgò intelligenda venit quorumcumque musculorum contractio inordinata,



aut absque nutu voluntatis orta. Ea autem aut constans est, & his vel illis musculis perpetua, vel alterna, & nunc his nunc illis sese mutuo superantibus, motus alternos, tremores-ve efficiens. At recentiores Medici non solum musculorum convulsiones nomine spasmi insigniunt, sed & coeterarum partium affectus, in quibus organis tonus impertitur irregularis. Itaque tanquam spasmi sunt habendi, tremor, rigor, frigoris sensus, horripilatio, & membranarum adstrictio. Cum verò in quovis morbo, insolentem ac irregularem sit deprehendere motum, inde foret concludendum, quoscumque morbos spasmodicos esse; quamobrem haud alienum erit dicere, quid, inter spasmodicos affectus, & coeteros, discriminis adsit. Hi spasmodici censendi sunt effectus, qui à statu nervorum contra naturam ita pendent, ut à quâ sobolescent ipsis ansam non præberet causa occasionalis, nisi jam ob vitiosas mobilitatem & sensilitatem, ad spasmum dispositio præexistet.

I I.

A quibus prodeunt affectus nervei, duplex causarum salutandum genus, prædisponentium scilicet, quæ, fluidorum consistentiam minuendo, vel aciora faciendo, vel aliâ quâlibet ratione, vim solidorum frangunt & ipsis majorem mobilitatem impertiunt; præcæmenarum deinde quæ in istâ mobilitate constant, vel in affectu lento cujusdam visceris, vel in irritatione quâdam ortum ducente ab animi pathematibus, seu ab alio quovis fonte. Ab iisdem causis febres oriuntur intermittentes; inter illas recensentur, vita deses, alimenta oligochilia, animi pathemata, aut variæ atmospheræ constitutiones. Subitanæ enim mutationes aëris hæc & in illâ tempestate humanum corpus mirum in modum afficiunt; verno quidem tempore, dum per omnia naturæ corpora serpit calor, minori copiâ profluunt urinæ, cum perspiratio profusior. At frigus quod per hancce anni tempestatem alternis vicibus calori succedit, jam vigentem coërcet perspirationem, quâ retropressâ diluuntur fluida, hæc in abdominalia truditur viscera, moxque oriuntur diarrhææ, viscerum lentæ affectus, undè febres intermittentes. Æstate verò, ob nimium calorem jam & mobilitas & sensilitas major fibræ accedit; non mirum itaque, si grassentur febres intermittentes, præsertim in udis regionibus, ubi è paludibus dimanant vapores putridi, præsertim si per quasdam noctes aëre frigente perspiratio fuerit suppressa, & infarctus viscerum gignere valuerit. Autumnus, qui pluviosam & frigidam sequitur æstatem, quod tunc & diluuntur fluida, & suum partim tonum amittere solida, semper secum febres adducit intermittentes, quas, per hiemem afflante Boreâ, ne reformides; cum frigus & solida firmet, & fluida cogat, sicque solummodo morbi inflammatorii sæviant.

I I I.

FEBRIUM intermittentium, & à quo coëtera sobolescent, præcipuum symptoma horror. Illas semper anteit, & si fortè absit, in illius vices succedunt signa, quæ spasmum arguere nemo ibit inficias, ut præcordiorum oppressiones, vomitus symptomatici, syncope, affectus comatosi, delirium, passio hysterica, cephalalgia, & alia id genus symptomata; nullus est tandem affectus nervæus, qui pro horrore occurrere nequeat. Undè concludere licet calorem postea succedentem, habendum esse tanquam molimen naturæ, ad spasmum

3

quo urgebatur, debellandum. At propositum sæpè sæpius attingere scopum illi non licet, si quidem quandòque ita debilis ipsius sit reactio, ut spasmus adducat istos affectus de quibus jam fuit dictum, quique in febribus intermittentibus perniciosi sæviunt: sudor tandem, qui & frigus & calorem excipit, nihil aliud recensetur quàm spasmus remissio, qui vascula cutis constringit. Recursus febris periodicus novam, inter & affectus nerveos, & febres intermittentes, analogiam instituit; in apicem producit observatione *Stahliani*, qui animadvertit, post quidem cessatam ipsarum causam efficientem, adhuc vigere febres intermittentes, haud aliter ac videmus epilepsiam verminosam, expulsis quidem vermibus, infantes succutere.

I V.

CUM ad febrium intermittantium curationem Medicus attendit, illi studendum, ut viscera abdominalia liberando, fluidis debitam consistentiam, solidis solitum tonum conciliet, cum ab his deficientibus, tanquàm à gemino fonte febris oriatur intermittens, nec medelam, nisi correctis fluidorum solidorumque vitiis, possit accipere. Ut iste impleatur finis, vulgò in usum advocantur vomitiva & purgantia. Hæc medicamina ægris auxilium afferunt, quòd statum intestinorum & ventriculi commutant; reipsâ, purgantia lenia, nihil in curandis febribus intermittentibus commodi afferunt; tandemque à purgantibus validis ut *scammonio* auxilium venit expectandum. Aliundè febrem debellant intermittentem vomitiva, etsi nullum vitiosum videantur ejicere humorem. Præterea tonica amara, antispasmodica, quæ in quolibet morbo spasmodico haud parvâ virtute pollent, in febribus intermittens insignitè profunt. (a) & *quina*, qui febris intermittens specificum haud immeritò fuit decantatus, in spasmodicis affectibus curandis, ut cephalalgia, hemicrania, epilepsia, feliciter succedit. Multa quidem, ad hanc analogiam & febris intermittens & affectuum nerveorum, in promptum producere nos penes esset, at satis erit, si solummodò dicamus, vehementia animi pathemata, quandòque febri intermittenti finem imposuisse.

V.

AST, objicies, quo pacto fieri poterit, ut affectus merè spasmodicus eam adducat crism, quâ ipse non solummodo debelleretur, sed etiam febri præexistens morbus. Respondendum erit, in errorem adduceretur, qui naturæ solis viribus spasmodicas affectiones solvi nequire censeret. Fatendum quidem, huncce felicem exitum præsertim obtinere febres intermittentes; at animadvertendum causas quibus producat, in agendo promptiores esse, quam quæ cæteris spasmodicis affectibus originem dant, idèdque citius naturâ subigi. Non mirum, si in cæteris affectibus nerveis sæpius deesse crisis videatur: hoc pendet ex eo quòd, longius ipsi requiratur tempus, & sic ipsi vel prava diætâ, vel alia,

(a) Antispasmodica in curandis febribus intermittens, magno cum successu usurpat, celeb. M. Majault, magni Nosocomii Parisiensis Medicus.

4
obices ponant; & etiam si fortè superveniat, illam Medicus observare, vel nequeat vel nesciat.

Ergò inter spasmodicos affectus febris intermittens.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Thomas LE TENNEUR.

M. Joannes-Franciscus-Achilles
DE LALOUETTE.

M. Natalis-Maria DE GEVI-
GLAND, Regionum in Germa-
niâ Ducum & Multum Nosocomiorum nuper Medicus.

M. Felix VICOQ-D'AZYR, è Regiâ Scientiarum Academiâ, Serenissimi Comitûs Atrebatum Consiliarius Medicus, Regii Medicorum Nanceianorum Collegii Socius honorarius.

M. Josephus COTTON.

M. Petrus DE LALOUETTE,
Regii Ordinis Eques.

M. Antonius-Chaumont SABATIER, Regis in Portu Bretonensi Medicus.

M. Henricus-Joannes BAGET,
Chirurgiæ latino idiomate Professor.

M. Josephus-Maria-Franciscus LASSONE, Eques, Regis in Sacro Consistorio Consiliarius, Regis ab omnibus Consiliis; Archiatrorum Comes; Serenissimæ Reginæ Medicus Primarius; è Regiâ Scientiarum Academiâ, Universitatis Medicinæ Mompeliensis Doctor aggregatus & honorarius, Regius Librorum Censor, &c.

Proponebat Parisiis, PETRUS-AUGUSTUS ADET, Parisinus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theses Author.

A. R. S. H. 1786. AB OCTAVA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi,
viâ dictâ du Fouarre, 1786.